



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

VII. De firmariis & vicariis ecclesiarum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

canatus prudentes viri & fideles constituantur per episcopum confessores, quibus personæ & minores clerici confiteri valeant, qui decanis erubescunt confiteri forsitan & verentur. In ecclesiis vero cathedralibus confessores institui præcipimus generales.

## VI.

Sacer ordo eo est digno dignius conferendus, quo ab ordinato sacramenta cetera conferuntur. Quare cum periculosum sit minus dignos, idiotas, illegitimos, irregulares, & extraneos, aut sine titulo certo & vero aliquos ordinari, statuimus vt ante collationem ordinum de his omnibus per episcopum indagatio diligens habeatur. Et ne reprobatis, qui fuerint reprobandi, approbatis, clanculo se valeant immiscere reprobandi, in examinatione scribatur numerus & nomina approbatorum: & qui scripti fuerint, postmodum in ordinationis limine perlecta scriptura discretione sollicita requirantur, ipsaque scriptura apud episcopum vel ecclesiam conferuetur.

## VII.

Ecclesias dari ad firmas, vel generaliter constitui vicarium in eisdem, nostra nequaquam volumus auctoritate fulciri. Sed propter infirmitatem multitudinis, quæ in causa est, ne videamur potius laqueos iniicere quam inuenire remedia, prohibitionis edictum contra ea emittere formidamus. Quibusdam tamen moribus ex eis orientibus ad nostram delatis notitiam occurrere coarctamur. Accidit enim plerumque, vt dum hi qui firmarii

ANNO  
CHRISTI  
1137.

appellantur, lucrari plus appetant quam exoluant, turpes exactiones faciunt, quæ interdum etiam cadunt in simoniacam prauitatem. Quare statuendo districtius prohibemus, ne dignitates vel officia, puta decanatus, vel archidiaconatus, siue prouentus, ex ecclesiasticæ vel spiritualis iurisdictionis exercitio, siue ex pœnitentia vel altari, seu aliis sacramentis quibuscumque venientes, ad firmam de cetero nullatenus concedantur.

VIII.

Cum laicis ecclesias dari ad firmas sit penitus inhonestum, & clericis quibuscumque ad longum tempus, propter continuationem temporis, quæ afferre consuevit periculum, ecclesiis posset esse damnosum, vtrumque districtius inhibentes statuimus, vt nec laicis vnquam, nec personis etiam ecclesiasticis vltra quinquennium ecclesiæ ad firmam concedantur, nec finito quinquennio renouentur eisdem, nisi prius ipsas habuerint alii mediate: & vt omnia sint in tuto, præcipimus vt præsentibus episcopis vel archidiaconis firmaria fiat conuentio, ex qua plures literæ conscribantur, quarum vna remaneat penes ipsos.

IX.

Alicubi audiuius contigisse, quod vacante pingui ecclesia, quam quidam optabat habere, nec tamen audebat eam recipere vt persona, ne aliis ipso iure beneficiis quæ obtinuit priuaretur, callide procurauit vt ecclesia illa sibi ad firmam perpetuo traderetur, ita quod modicum quid inde solueret alii nomine personatus, sibi que totum reliquum